



Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 3. Quis potest & debet Ministrare hoc Sacramentum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

proxima. Quod si omnino careret sensuali-
quo, putà visu, debet tamen inungi secundum
sensum illum cum forma ei respondentem; quia
potuit appetere actus malos, qui per sensum
illum perficiuntur.

3. Dum oculos, aures, & alia corporis mem-
bra, quae paria sunt, Sacerdos ungit; carent ne
altero ipsorum inungendo, Sacramenti formam
priùs absolvat, quam ambo hujusmodi paria mem-
bra perunxerit. Rit. Rom.

4. Si dum inungitur infirmus decedat, Presby-
ter ultra non procedat. Quod si dubitet an vivat
adhuc, undionem prosequatur sub conditione pre-
nuntiando formam dicens; si vivis, per istam un-
tionem, &c. Rit. Rom.

5. In pestiferis uti licebit virga oblonga, ole-
tincta, quae deinde comburatur, aut servanda pur-
getur, ait Manuale Cameracense.

**Q. 3. Quis potest & debet ministrare hoc
Sacramentum?**

Resp. I. Fide constat solum Sacerdotem esse
illius Ministrum, ex Trid. sess. 14. can. 4. Va-
lidè autem conferri potest à quolibet Sacerdo-
te: quia in tali ministerio jurisdictione non est
essentialis Sacramento, nec illius principium;
sed est solum conditio necessaria ut licite fiat.
At licite ministratur à solo Pastore proprio,
vel alio de ejus licentia: nam administratio
Sacramenti est officium Pastoris, quod usur-
pare propriâ auctoritate in materia gravi gra-
vis culpa est; cum id ei injuriosum sit, & re-
pugnet

DE EXTREMA UNCTIONE. 501

pugnet recto regimini ac debito ordini. In casu tamen necessitatis, quo aliquis infirmus sine hoc Sacramento moriturus esset, quilibet Sacerdos potest & debet ex charitate illud ministrare; nam tuic Ecclesia hanc facultatem concedere censetur. Neque in Clement. I. de Privileg. ubi excommunicantur Religiosi, qui sine licentia Parochi illud sacerularibus conferunt, hic casus necessitatis comprehenditur; alioqui esset in destructionem.

Resp. II. Parochus, item Superior Regularium tenetur ex iustitia sub mortali Extremam Unctionem administrare per se vel per alium subditis suis. Quia tenetur ex officio fideli- bus suæ curæ commissis ordinaria media salutis à Christo instituta, & in communii usu Ecclesiae posita subministrare. Idque etiam cum vita periculo, si subditus Pœnitentiam non receperit, nec possit recipere; quia fieri potest ut Extrema Unctio ei tunc ad salutem necessaria sit, si nimirum habeat tantum attritionem cum imperfecto Dei amore.

Q. 4. Quinam sunt effectus hujus Sacramenti?

Resp. Ex Jac. 5. & Trid. sess. 14. c. 2. multiplex est. 1. Ac præcipuus est gratia sanctificans ut connotans gratias actuales ad alleviandum seu confortandum animam contra morbi molestias, & tentationes diaboli.

2. Est abstergio reliquarum peccati; quæ sunt non solum poenæ peccatis debitæ, sed etiam anxietates, infirmitates, torpor seu lan-

guo &

Li 3